

Habetis, Excellentissimi Viri, causam reædificati Sympathetici Theatri. Restat ut paucis assignetur ratio, cur, cum prius illud jam ante biennium vestro patrocinio commendatum sit, hoc repetitum, quoque denuo eidem consecratur. Scitote igitur, Vos ipsos dedisse ansam, ne aliis dedicaretur præsens Theatrum, quàm quos prior Dedicatio experta esset tam benevolos & faventes. Tam enim benignè qualemcunque illum cultum meum tum accepistis, ut recuso huic Opusculo idoneos magis Patronos nunc nec quæri deberi putaverim, nec posse inveniri. Et cur non eosdem deligam, cum non nova, sed eadem, adhuc Materia hic, quamvis fusiùs & à pluribus, pertractetur? Quin potiùs, ut ad illos, qui ad sacrum fontem Sponsores existunt, ex intervallo quodam temporis Suscepti deferuntur; quò unà cum ætate his Sponsoris simul favor accrescat & firmetur: sic ego hunc quoque diversorum Eruditorum partum quasi literarium Vobis iterum offerre minimè dubito; ut auctus simul favoris & amicitiae vestrae augmentum, seu potiùs stabilimentum acquirat, & à me non constanter minùs, quàm ardentè coli Vos, demonstrat. Accipite igitur propensis animis, quod Vobis, hoc est, benevolentiae erga me vestrae debetis, ac me perpetuò futurum existimate, qui esse debeo, vestrae scilicet amicitiae ac voluntatis studiosissimum. Faces & lumina Medicinae, valete! Norimbergæ, 19. Aug. ipsa nimirum S. Sebaldi festâ die.

Ad

IDA